Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



78.

plione, ex qua judicabatur, ipsum esse S. Julii Senatoris: illud vero depositum fuisse in sacrario templi PP. Franciscanorum vulgo Ara coeli, ubi adhuc honorari suppono: quidquid in suo Hemerologio scripserit Piazza, Creditum Romae anno 1690 corpus quiescere ad S. Pancratii, reliquias vero, aliquot reliquias, asservari in SS. Nerei et Achilei. Plura propediem suggeret eruditissimus Marangonus Canonicus Anagninus Protonot. Apostolicus etc. in eo, quod paratur, opere de sacris Romanis reliquiis, ubi forte exponetur, cujus S. Julii fuerint ea, quae inventa sunt XXX Aprilis anni 1697. N. Videor meminisse, ait subdubitans, an non fallat~~ur~~ memoria. Hinc ~~ex~~ isto Sollerii testimonio similiter niti non possumus. ~~Piazza quoque plus non asserit, quam quorundam opinionem fuisse Romae anno 1690, corpus S. Julii existere ad S. Pancratii. Utrumque ex parte falli~~ Crediderim, Sollerium, qui anno 1697 ex Belgio Romam, verosimilius post mensem Aprilem, missus est Bolsae ~~fu~~ Stilingo, audivisse Romae, corpus S. Julii cum inscriptione inventum ~~esse~~ fuisse die 30 Aprilis: hinc autem putasse, inventionem eodem anno 1697 contigisse; cum revera decennio ante, nempe anno 1687 sub Innocentio XI, contigerit. Similiter audierit, sacrum corpus primo depositum fuisse in templo Aræ coeli: id quod pace mea verum potest esse. Ast anno 1688 ~~idem sacrum~~ eo idem ad lavandum ornandumque delatum est in Parthenonem S. M. Magdalenae ~~de~~ de monte Caballo. Lavandis autem sacris ossibus deputata erat Soror M. Gratia Jozzi; cujus plures epistolae de acquisitione horum SS. Corporum, exstant in Stamensi tabulario: quas infra ad caput XLIX recitabimus. Demum ut etiam Piazza respondeam: plus ille non asserit, quam anno 1690 fuisse Romae quorundam opinionem, Corpus S. Julii existere ad S. Pancratii. Fuisse hanc opinionem non nego: sed falsam fuisse affirmo.

N. nun unde fit ang. pag. 70

/ una cum corpore S. Urbici M.

38) Eusebius Chron. Herodianus l. 1.

39) Eutropius Hist. l. 8.

40) Lapis Pentingerianus apud Vossium in Her. Ang. appendice.

41) Plures exstant in Roma hujus Imperatoris monumenta. Siquidem tria Ursinii, quae inter se non diffe-